contumelias, quibus nos eramus digniſſimi, in te ipſum transtuliſti, et
maledictus pro nobis factus maledictionem, quae nos feriebat, in te ipſ
derivaſti; gratias, quibus concipiendis mens noſtra par eſſe poteſt, agimus, ha-
bemusque maximas: quod in aſſumtâ humanâ naturâ pretioſiſſimum pro pec-
tis noſtris λύτρον ſolviſti, iramque Patris tui ſedatâ nos cum illo ita recon-
ciliaſti, ut jam liber iterum ad beatiſſimam cœli arcem, quem miris modis
intercluſerat nobis Satanas, aditus nobis longe lateque pateat. Tuam nunc
imploramus miſericordiam: ut imbecillitatem noſtram juves, nosque benigni
ſemper intuearis oculis. Ecce ad glorioſa Paſſionis tuae inſignia, in quibus
ſalutem noſtram operatus es, totos nos inclinamus: amplectimur victorioſae
tuae Crucis regale vexillum; amplectimur ſpineum tuum diadema: tuo ſan-
guine rubentes clavos, tuo ſancto lateri impreſſam arripimus: tua vulnera,
tuum ſanguinem, tuam mortem, tuam ſepulturam reſpicimus. Veni, veni
benigniſſime JESU, dolentium animarum Conſolator: veni, veni, qui ne-
ceſſitatibus noſtris fortiſſimus es auxiliator, in opportunitatibus Adjutor: Veni
Juſtificator, veni curator vulnerum: veni ſingulare omnium viventium
decus: morientium anchora unica veni. Veni dulciſſime JESU, veni
et miſerere noſtri: adapta Te nobis, et condeſcende propitius: ut noſtra
tuae magnitudini parvitas, tuoque robori noſtra imbecillitas paululum reſpon-
deat. Dumque hoc ipſo anni tempore ſolemnem Paſſionis ac Mortis tuae
memoriam recolat pia Mater Eccleſia, largire mihi, meisque Symmachis,
Spiritum tuum S., qui efficiat, ut admiranda propoſita piâ ac devotâ
mente cogitemus: ex iisdem praeſtantiſſima omnium ſolatia hauriamus,
inque futurae ſalutis ſpem magis magisque iisdem excitemur :.

Dixi:.